

A

12345

6789

TORCULAR ENGADDI, 16
ILLUSTRIS COLLEGII EVANGEL. STAT. EPERIENSIS,
indicto EXAMINE

ANNO M. DC. LXXXIII. à 4. ad 10. Octobris.



Dum MARS bellicis pro PATRIA insudat vineis sedemq; Armorum è visceribus suis ad Austrum transtulit; Ars quoq; æmulam Certaminum defigit in pagina Arenam legemq; calamorum ex umbris in lucem publici Examini protrahit, dum *Pace non inventa sed reperta* VINETUM publicum PATRIÆ, quo sit excultum conatu, comprobatur annui laboris racematione. Inter spara enim & litus indulgit huic Vineæ quietem ille VINITOR botri Engaddi DEUS, postquam hyeme & imbre dispulso, de cælo gratosè respexit labruscas, in otia crescentes & revocatis horà Exilii undecimâ Operariis in Vineam, alligare præcepit tenellas Vites ad Palum Funiculis Artium. O quanta hæc TUA, Ô DEUS, GRATIA! quàm levis gratitudo nostra! quòd Vineam hanc desolatam iterum plantare dignaris: quòd inanem & vacuam luce cælesti adimpleres: quòd sub umbra Alarum Tuarum ab æstibus tutam, à calamitate sinceram, à vulpibus desolantibus mâcerias securam, defendisti, consecrasti, ampliasti. O DOMINE! Miopreses sumus cunctis Miserationibus Tuis! O DOMINE! Tuere porrò à laqueo Venantium nos: à Sagitta volante à meridie defende nos Tuere velut pupillam Oculi Tui, Oculum HUNGARIÆ PRINCIPEM, quem elevavit & firmavit manus dextera TUE in salutem Populo tuo THRONUMq; eius SPIRITU PRINCIPALI in feram Nepotum seriem confirma! Irrigavit verò Vineam hanc CELSISSIMUS PRINCEPS ac DOMINUS HUNGARIÆ, DOMINUS EMERICUS THOKOLI, Collegii Statuum RESTAURATOR & NUTRITIUS Munificentissimus, ut cresceret in palmites frugiferos, adeo, ut quod olim Aurelius Victor in Panegyri de PRINCIPLE OPTIMO TRAJANO dixit, verè CELSISSIMUS PRINCEPS ad restituendum bonas Artes cælitus à DEO sit missus, imò (addo & Veritas mecum) ad restituendum Gentilem Libertatem REGNO, velut JOAS ex tenebris in lucem Hungariæ exortus THRONUM PRINCIPALEM Patriæ primùm, post Orbis judicio meruit. Augeat, Augeat Annalibus (in hoc Voto omnes unum sumus) CELSISSIMUM DECUS hoc togate PACIS post bella Annos, ut serenatum Phæbes radiis, quod olim in Symbolo non Vanus Augur habuit oriens *Redeat plenius* Aquasq; è Petris & Cruce in fluxum refluxumq; novo trahat & ducat sidere. *Spem praripiet spe beator evetus!*

Hujus CELSISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI CLEMENTISSIMI Authoritate & Jussu, ab ipsis Principiis Humanitatis in primum usque aditum PHILOSOPHIÆ intra vertentem Annum Classes sunt erectæ: Aræ in Vites Varias cultæ: & jam botri Cyprii verunt in primos flores, in Torcular Engaddi fat fecimus dum hoc fat egimus. Hoc enim ipsum cum sponso sanguinum, qui proprio cruore redemit & asseruit Vineam salutis, pollicemur; flores damus; fructus dabit posterior sedulitas. In Logicæ Operationibus annuus quievit labor ac etiam superiores Physicæ & Metaphysicæ pollicetur racemos, ubi MARS PALMATUS triumphavit. Crescent inquam & reliquæ Philosophicæ Classès sub SOLE Munifico in signo LEONIS decurrente, exsudatisq; in Culmos faveriores vitibus calore resuscitabuntur placido. Ergo (quod felix faustumq; esse jubeat DEUS TER OPTIMUS) Vindemia publica Scholæ indicitur: Dies 4. Octobr. ad 10. tempus statutum est: in quo Torculari Examinis & Professorum labor & Præceptorum sedulitas, & Discipulorum profectus in Vinum exprimentar Judicii & Censuræ publicæ. Amphychion Rex Atheniensium in Nympharum Delubro inter horas erexit Templū RECTI BACCHI, eo quòd temperatè vino utentes vidisset rectè ambulare, cum antea curvi ob potum meri incederent. Rectus & hic Lyæus nostri Lycei est, cum non ut ante emotæ mentis vertiginem sed vinum salubre, quod lætificet cor hominum, inter horas publicas, in hoc Musarum & Nympharū Delubro destillabit ex forum pluteorum & unguium demorsorum VINDEX. Ad hoc itaq; publicum Examen Anni M. DC. LXXXIII. Annuente clemente CELSISSIMO PRINCIPLE, Disponentibus Generosis ac Nobilissimis Dominis Inspectoribus producentur Classès sub ASTRIS LEONIS & PARDI germinantes vinum Virginum i.e. doctrinæ puræ & vitæ inculpatæ. Ite ad hoc celeres Cives Collegij! ite in Patriæ censuram & cum Sunamitide flores vestri dent gratum odorem. Ite animosi in Examen Vindemiæ! Tessera vestra esto: *Benedicite, qui bene dimicant*: Speret (hoc Amor, hoc Patrocinium faveat) speret calamus atramento candidum laudis suffragium, ut dum sitor exprimet præconium, restaurato iterum (Prosperante DEO MAXIMO) post Vacationes solitas die S. Marci anæ summum die S. Anicæ Vineto, omnes imò velut Psecæ aves turmatim in Cultu æm auctiorem renoventur plures palmites: Hoc optat & sperat

ELIAS L. DIVER Coll: Eper: Dir

PODAGRÆ

in modum Grammatice Rhetoricæ
Metricæ definitio

per
Reverendissimum quondam Dominum
JOAN. V. M. DE K. O. V. M.
Cathedricæ Neozabienfis Ministrom
Fidelissimum.

annis, silis mms septem, huius mor-
tis vexationis, edita in con-
solationem Podagræ.

ANNO MDC LXX.

SOLNAG

Joh. Joannis B. B. A. A. A. D.
1670.

(in forma utraque)

Rms. II. an. 1670. quod.